

Quaestionum scholasticarum capita III.

I. Latine scribendi usum in dies minui, causa non est, cur magno opere vel miremur vel queramur. Fuit profecto tempus, quo ceterae linguae minus idoneae habebantur, quibus posset de rebus subtilibus limate disseri, latina autem ita per totum orbem terrarum diffusa erat, ut qui inventa sua, quibus rerum scientiam aucturos se esse confidebant, mox a cujusvis populi prudentissimo quoque cognosci vellent aut ipsa de antiquitate scriberent, nisi ea usi fuissent, insani essent habendi. Sed longe alia nostrae aetatis ratio est. Qui doctrinam aliquam profiteretur facere non potest, quin ceteras quoque Europae linguae si non omnes unam tamen alteramve ita discat, ut quae in iis sint scripta intelligat, atque hae linguae ipsae adeo sunt exultae et politae, ut nihil sit, ne in grammaticis quidem et philosophicis, quod non aequè commode et plane iis possit exprimi ac latina. Praeterea tantum inter populos exercetur literarum commercium, ut quae apud unum lectu digna edantur statim fere ad omnes transferantur. Latinus igitur sermo quum jam diu unus virorum doctorum esse desiderit, quicumque bona quaedam et nova proferre posse sibi videtur, eo sermone uti mavult, quo et ipse quae sentit facilius exponat et plures alliciat legentes ex iis, quibus quisque vel maxime semper consulere debet, popularibus suis. Quod quo pluribus etiam minus eruditus aditum ad literas patefecerit eo laudabilius existimandum esse apparet.

Sed hoc concessio tantum abest, ut in scholis quoque de Romanorum Graecorumque auctorum lectione aut de stilo latino detrahendum esse censeam, ut plus, si fieri possit, quam plerumque nunc soleant in hac re praestent velim discipuli et exerceantur. Nam etsi non id agimus, ut latini scriptores fiant, — quos esse se ubi sunt qui contendant magistri? — illud tamen ipsum quod optamus, ut ex scholae umbra germanici evadant et oratores et doctores futuri quam optimi, ad conservandam et augendam latinitatis cognitionem eaque pueros imbuendos quam maxime nos impellit. Antiquae linguae si neglectae jacerent, mox etiam bene germanice et scribendi et dicendi artem interituram esse, jam Lutherus noster dixit, quo non facile quisquam locupletiore auctorem. Ejus enim germanica sacrae scripturae interpretatio tantas habet dictionis virtutes, et pro temporis sui, quum nemo eruditorum patria lingua uteretur, barbaria mirabiles et per se insignes, ut etiam nunc, si cui cordi sit pure et apte scribere, is ad Lutheri potissimum exemplar orationem fingere studeat suam. Ille vero nisi per totam vitam in antiquarum linguarum studium impigre incubuisset, nunquam tantum assecutus esset, ita ut jure nostram linguam plurimum illis studiis debere dicamus. Sed ne Lutheri quidem egregia opera satis patriam defenderat a nova barbaria,

quae nisi iterum antiquitatis studia subsidio venissent, vix deleri poterat. Nam Klopstockius Portensis disciplinae severitate educatus tanto successu cum veteribus quasi luctatus est atque ita victor e nobili certamine prodiit, ut totam Germaniam ad similes conatus incenderet nec paucos excitaret, per quos extrema vita laudes suas paene obscuratas videbat. Ita laetissimi nostrarum literarum flores ex utriusque linguae veteris studio, non suapte causa exercito sed ad patriam ornandam collato, enati sunt atque ne decidant semper ejusdem studii egere videntur.

At nonne nunc res aliter se habet? sicuti adminicula teneris arboribus ut ventorum impetui resistent addita, postquam stipites robusti facti sunt, sine ullo detrimento evelluntur, sicuti machinae domibus exstructis remouentur, sic recens animorum cultus, cujus de progressibus quotidie gloriamur, jam in semet ipso satis praesidii habet neque ne evanescat alieno auxilio destitutus timendum est; jam sacra scriptura in omnium manibus versatur, unde Dei rerumque divinarum rectam cognitionem sibi quisque percipere potest; jam antiqui illi auctores plus quam semel in germanicam linguam translati sunt, ut facile sapientia vetusta discatur; jam igitur non tam inutile quam noxium esse putandum est, tantum in discendis literis antiquis consumere ac profundere laboris, quem praestat in eas res, quae ad vitae commoditates conducunt, impendere.

Talia clamitantibus primum oppono, solidam doctrinam ne nunc quidem ereptis auctoribus Romanis et Graecis exstare neque acquiescere posse in versione quadam vel optima, quia nullam sciat versionem instar primi speciminis esse. Ita, ut unum tantum exemplum afferam, quis vere theologus satis sibi esse ducat, Lutheri interpretationem inspexisse, neque ad ipsam eam intelligendam graeca in auxilium vocet? quis non comparisonem instituendam esse videat etiam cum vulgata, cujus apud catholicos summam vel solam constat esse auctoritatem? quis critica arte dicere se audeat supersedere posse? et quis hanc exercere se posse confidat, nisi qui penitus se in antiquarum literarum scientiam insinuaverit? — At paucissimi eorum, qui scholas nostras frequentant, docti fieri volunt. — Neque id ignoro, sed scio etiam recentissimos ex nostratibus, qui aliquid in eloquentia aut poesi exsequuti sint, veterum familiaritati, in quam juvenili institutione recepti fuerint, omnia se debere libere confiteri, ceteros vero satis impure atque inconcinne et scribere et dicere, nec non summos qui scholis praesint magistratus idem se sentire testari, patriae linguae doctrinam cum latina conjungi jubentes. Sed quid opus est exemplis et testimoniis, quum res ipsa loquatur?

Primo patrium sermonem accurate disci non posse nisi comparatione cum aliis linguis instituta per se patet; sed ne recentiores jam initio ad eam rem adhibeamus, dissuadet earum similis nostrae ratio. Eae enim syllabas finales et literulas, quae flexionibus inserviunt, tantum non omnes dudum abjecerunt, ita ut quaevis vox eodem fere ubique quasi vestimento procedat. Contra latina lingua salvas eas retinuit, qua re pueri, quum has formas imbibant, simul quae cujusvis vocis in quaque enunciatione sit ratio sive relatio primo aspectu comprehendunt, et quae notiones mentibus jam capi difficillimum esset eae oculis et auribus sponte se offerunt; ex ipso enim nominum et verborum exitu mutataque specie, ex casuum, temporum, modorum formis quae conjungenda sint elucet, quae disjungenda, quae ex aliis dependeant et ex quibus, quid sit de quo quid dicatur, et quid illud quod de altero dicatur, et similia. Externis igitur signis adducuntur discipuli ad intelligendum eorum quae legunt sensum et nexum atque, si mature ad ediscendam satis magnam vocabulorum copiam instigantur apud optimos auctores occurrentium nec sero lectionem attingant, nolim enim ut

justo diutius in sola institutione grammatica retineantur, fieri non potest, quin virium contentio mox satis magna compensetur animorum oblectatione.

Ubi vero fundamentis rite positis notiones grammaticas, partes quae dicuntur orationis, declinationes, conjugationes, enunciationum vim et naturam variaque genera cum latinis simul cognoverint germanica ac memoriter comprehenderint, tum demum longius licebit progredi. Syntaxin exemplis potius quam usitatione illa via per immensam regularum et exceptionum silvam ducente disci velim et ad latinarum periodorum imitationem, certo quodam argumento proposito ad captum puerorum accommodato, formari germanicas, ita tamen, ut quid in singulis sententiarum partibus componendis inter se differant linguae cognoscatur. Atque si quae aliae exercitationes ad orationem formandam opus sunt, satis certe habeamus id pueris injungere, ut quae narraverimus referant scripta atque aliquanto post ut res quae in manibus suis et ante oculos sint, atque initio quidem arte factae deinde etiam natura procreatas, describant, itaque quae vel audierint vel viderint viva voce et tum per literas reddant. Ea autem disciplina quotidiana assuefacti ubi pueritiam coeperint egredi, in multa nec tarda librorum Romanorum Graecorumque lectione exerceantur necesse est, ut quantum possint veterum degustent et morum gravitatem et sentiendi judicandique sanitatem.

Tum demum tempus erit alias quasdam scriptiones germanicas adjungere, multa tamen cautione adhibita, ne plus quam ferre valeant humeris infirmis imponatur neve committamus, ut, qui per se ad audacter judicandum et temere agendum proclives sint, jam suas ipsorum commentationes conficiant, quibus mirum quantum a nonnullis magistris laboris ne dicam inutilis at certe praematuri insumere coguntur discipuli. Nam quoniam, ut Horatius ait, scribendi recte sapere est et principium et fons, multum hac re peccamus, quod qui omnino ne cogitare quidem secum de rebus gravioribus et sentire recte possunt, cogitata eos sua chartis mandare jubemus. Imo juvenes quoque optimam germanicae linguae exercitationem ex antiquis capient auctoribus, quippe in quibus et acute sensa et apte collocata et decore enunciata jam reperiant omnia; et justo stilo, si ipsi quae legerint assidue in nostrum sermonem etiam per literas transferent, non longiore circuitu per errores sed recta via in perfecti speciminis conspectu ad puram sanam ornatam orationem pervenient; dummodo loci illi vertendi accuratissime eligantur, in primis breves orationes, quae apud Caesarem, Livium, Sallustium, Xenophontem, Herodotum, Ovidium, Virgilium, Homerum multae exstant, ex quibus ut aptissimis exemplis et inveniendarum rerum et disponendarum ars optime discetur ejusque artis praecepta opportune eruentur et illustrabuntur. Quid? nonne ex Cicerone solo periodi permultae sumi possunt, in quibus tam scite suo quidque loco positum est, ut ne quid sine sententiae detrimento immutetur? quare et ipsae ad cognoscendam a juvenibus dispositionis rationem recte adhibebuntur et ad easdem sententias in longiorem orationem extendendas.

Tum vero aliam quoque, quam ad stilum excolendum tractent, materiam antiqui iis praebent auctores, tam aptam tamque largam, ut aliunde non sit petenda. Ipse nuper postquam discipuli privatim septimum Herodoti librum legere jussi sunt, et alias et has iis proposui quaestiones: Quae sint inter illum Herodoti et secundum Iliadis librum similitudines? Qui fuerint illi homines, qui Xerxi ut expeditionem contra Graecos suscipiat et quibus rationibus persuaserint? Oracula Atheniensibus ante bellum adversus Xerxen gestum edita quo-

modo sint explicanda? Num jure Herodotus Atheniensibus Graecos salutem debuisse judicet? Plura afferre non opus est; nam quis dubitet, quin in quolibet opere antiquo multa talia reperiantur, de quibus diligenter perlectis utilissimum erit juvenibus agere, quum eas tantum res persequantur quas didicerint et discant quae discantur dignissimas?

Commemorandi sunt etiam loci qui dicuntur communes, acutissimae illae de omnibus rebus divinis et humanis sententiae, quarum libri veteres pleni sunt. De quibus eo melius disputabunt, quo magis in oratione illa, cui insertae inveniuntur, expenderit quemadmodum cum iis quae antecedunt et quae sequuntur cohaereant. Quamquam talia ne nimis saepe attingant suadeo, de quibus vita magis et experientia judicare docet quam libri.

Sed etiam latine de iisdem rebus et dicendum iis est et scribendum, ut, quo majorem id meditationem requirat, eo cogitatus omnino verba facere consuescant. Qua de causa postremum ex bonis scriptoribus germanicis quaedam, modo ne difficiliora, latine iis erunt reddenda, quod si adducuntur ut religiose faciant et de cujusvis vocis sensu, de singularum sententiarum nexu, de optima conjungendi ratione cogitent, plurimum confert ad augendam patrii sermonis intelligentiam atque efficit, ut multa, quae quid in se habeant vel difficultatis vel proprietatis, antea ne animadverterant quidem, aliquando quid sibi velint perspiciant.

III. Praecipuam causam, cur doctrinae latinae tantum tribuam, pluribus exposui, non quo collegis meis, quibus potissimum haec scribuntur, difficile arbitrer id persuaderi, sed quia libenter ibi diutius moratus sum, ubi omnino eos mecum convenire scio, in alium nunc campum descensurus, in quo vereor ne adversis signis congregiamur, quae non infesta fore spero. Libere tamen dicendum est quod sentio. Quodsi consentimus, latina lingua non modo doctos homines sed ne eos quidem carere posse, qui politioris cujusdam humanitatis expertes esse nolint, jam quaeritur, qui factum sit, ut minus nunc quam paucis ante his decenniis in ea re efficiatur. Quanta cum voluptate Ratiborae puer septendecim annorum cum aliis Lingium, qui Cervimontii, et Maximilianum Schmidtium, qui Halis decessit, homines clarissimos semperque mihi grata memoria colendos, alterum Mostellariam alterum Oedipum regem audi vi latine explicantes! Quotus autem quisque nunc invenitur aut magistrorum, qui idem audeat, aut discipulorum, qui ita docenti dociles aures praebet?

Id cogitantem multa alia quae extrinsecus nobis impedimento sunt, quominus quod volumus assequamur, me non fugiunt, sed ea praetermitto, non solum quia satis nota sunt sed quia, si quid non successerit, optime nos emendare puto in nobismet ipsis causam mali quaerentes. Sumus vero fortasse non uni culpa obnoxii; unam tantum commemorabo. Nos pueri Virgilium, Homerum, Horatium, tragicos quum legeremus, Heynii, Lambini, Bentleji, Mitscherlichii, Erfurdii, Hermanni aliorum certatim in auxilium vocavimus commentarios latine compositos, quo melius in schola et magistris et aliis discipulis, quibuscum latine disputandum erat, de omnibus quae legeramus rationem reddere possemus; nec non graecam syntaxin ex Vigeri de idiotismis libro ab Hermanno edito discere studuimus, haud parum talium operum studio elati, quae potius in doctorum virorum usum scripta esse videbantur; itaque discentes linguas nostras et ingenia legendo simul et loquendo exercuimus, usu linguae cum doctrina conjuncto: discipulis nostris eas veterum scriptorum editiones, quibus vili emtis maxime utuntur, non tam magno usui esse arbitror, germanicis dico prolegomenis et animadversionibus instructas, quarum in locum, quamquam jam non illa opera modo laudata commendare audeo, aliae utinam in usum scholarum induci possent, latinis commentariis ornatae!

Prolegomena quidem utra lingua scripta sint, non multum interesse videtur, modo editor de vita et scriptis auctoris, de causis, quibus motus illum librum, qui ad legendum proponitur, composuerit, de ratione, quae illum inter et alios ejusdem libros intercedat, quae tradita et explorata sunt, et de similibus rebus, quae animos ad lectionem praeparent aptis, breviter referre satis habeat. Neque si qui sunt, qui modum excedentes subtiles quasdam de obscurioribus rebus immisceant disputationes, valde cum iis rixabor. Vitosius faciunt nonnulli, quod argumentum et dispositionem totius operis legendi fusius exponunt. Equidem lectioni multa praefari de industria omitto, perorationes quasdam praefereus. Nam optimum esse opinor, perlecto demum libro et diligenter pertractato ita omnia repetere, ut de singularum partium ordine et cohaerentia ipsi juvenes quae intellexerint indicent atque eo ducantur, ut, quae priore lectione nondum satis perspecta habuerint, jam videant quo sint referenda. Unde quem fructum percepturi sint, non multa indiget demonstratione. Nonne discipulos ita libentissime ad ejusdem libri lectionem reversuros esse credes, in quo qualia et quanta insint ipsi sibi reperisse visi erunt? nonne ipsos scribendi inde materiam sumpturos et largissimam et viribus suis maxime aequam? Sin autem antea verbose quid lecturi sint prodimus, non solum hac ex iis quid profecerint audiendi occasione privamur, sed mirari tandem desinamus, quod jam ad primam lectionem fastidiose accedunt. Et tamen tales praefationes latine scriptas minus nocituras esse apparet, quum eas legere et intelligere studii sit et contentionis majoris ac per se non inutilis.

Sed nescio an editores animadversiones suas ad explicandam orationem adjectas pluris faciant; mihi multo minus satis faciunt. Duplex est interpretis officium, et loci cujusque sententiam ita explanare, ut verba ipsa quid sibi velint appareat ac quomodo cum antecedentibus cohaereant, et, ne quid obscuritatis remaneat, quaecunque ad res, de quibus agitur, illustrandas pertinent afferre. Prius illud, quum tota res in linguae ipsius et humanae, rationis legibus posita sit, nihil aliud poscit nisi ut animi discipulorum ad praecepta grammatica, dialectica, rhetorica attenti fiant. Quod brevibus fere absolvere licet. Instituendi enim sunt et instruendi, quae sit verborum vis, rectio, conjunctio ex lexicis et libris grammaticis ut ipsi sibi petant vel potius quae jam didicerint inde repetant, utque eo diligentius eos evolvant monendi et cogendi, quo magis non tam id agitur, ut unum alterumve locum scriptoris quam ut linguam ipsam ejusque leges cognoscant. Sin autem times, ne quo modo vox aliqua, quum a propria significatione in aliam mutetur et transferatur, intelligenda sit aut quo referenda, frustra ibi quaerant, uno plerumque verbo e. g. figurae nomine (et saepius ne verbo quidem sed signo) atque ubi id non satis esse videtur, non immemor, cetera vivam praeceptoris vocem suppleturam esse, simili loco ejusdem si fieri potest vel alius scriptoris aut laudato aut exscripto officium tuum expleveris. Quod illos editores facere pudet, scilicet ita scribere dicentes non esse latine scribere et molestum, itaque se patrio sermone uti malle, non quod facilius sit sed quod gratius. Quasi quid scribentibus placeat magis nostra referat quam quid prosit legentibus. Inducuntur vero re ipsa, ut non solum singula verba justo frequentius germanice reddant sed etiam totas sententias et in vicem versionum contemptarum suas substituunt annotationes. Gratissimum id bibliopoli, quum libri isti a pueris, quibus quidquid laborem minuit valde acceptum est, arripiantur, soli fere emantur ceterasque editiones ex scholis amoveant. Sed viros doctos ea causa et lucro quodam suo moveri, absit suspicio. Imo ipsi se operae pretium facere putant, si scriptorum lectionem discentibus faciliorem reddant impedi-

mentaque omnia tollant. Quod caveant ne nimis enitantur. Nam non tam ut cito ac multa legant pueri et cognoscant quam ut accurate et ita discant videndum est, ut vires corroborentur et ingenia illuminentur. Si igitur sententiae et voces sive graecae sive latinae explanationis egeant, satius est latinis verbis uti, quae multo magis ad cogitandum et, quae dictio germanica sit optima, quaerendum incitant, quam versionem paene perfectam proponere, quae etsi sit electissima minoris tamen aestimanda est quam minus bona a discipulis operose elaborata aut magistri interrogationibus elicit et paulatim emendata.

Quae deinde ad res, de quibus scriptor agit, enucleandas memoranda sunt, quum nesciam unde repeti possint nisi ex auctoribus antiquis, non video, cur non ipsa eorum verba laudentur. Quod vehementer propterea quoque commendandum, ut mature qui literis operam navant ex fontibus ipsis haurire assuescant. Atque inde sumpta si nec recta esse nec, quod raro accidet, aliis antiquorum locis refelli posse videbuntur, prudenter tamen editores latine id exponant, si non alia de causa certe ne discolorem ut ita dicam et invenustam reddant orationem suam.

Est igitur in votis, ut viri docti, quos editionibus suis, quamquam ceterum bonis, — sunt enim non paucae, quae ad scriptorum verba et restituenda et illustranda multum contulerunt nec parum habent commendationis, — minus tamen bene de juventute meruisse accuso, ad latine scribendi morem revertantur atque ipsi se a reliqua eorum, qui librorum numerum temere augent, grege sejungant. Neque unus equidem ejus rei auctor sum, sed extant exempla ad imitandum proponenda clarissima. Unum liceat commemorare, quo qua ratione editiones in usum discipulorum adornandae, quibus artibus juvenes informandi sint, apertius indicem, Nevii incliti doctoris Portensis Sophoclem. Ipse de consilio suo tam plene et perspicue praefatus est, ut nihil habeam quod addam; sed temperare mihi non possum, quin duos ex ea praefatione locos apponam, quos qui tales libros edituri sint pectoribus suis inscribant. „Omne consilium meum regebatur hac cogitatione, ut, qui libro meo gnauiter usi essent, probabiliter praeparati ad audiendam periti praeceptoris interpretationem accederent, ita tamen, ut neque discipulis nihil relinqueretur laboris, neque magistro commentandi munus praeriperetur.“ et „Est autem hoc summum in omni institutione, ut argumentorum acie instructa auditores id quod verum est, cogantur ipsi reperire, et propositis judicandi principis discant concludere.“ Quam praeclare Nevius rem suam exsequutus sit, ut ostendam, aegre abstineo, quin unum alterumve poetae locum percenseam; sed quamvis paginam diligenter legenti et cum aliis editionibus — ne Schneidewini quidem excipio — hanc comparanti persuasuram esse scio, neminem unquam, quid ingeniis discentium erudiendis utilissimum sit, illo viro aptius judicavisse, neminem sapientius ad scriptorem recte intelligendum viam monstravisse. Singularem quadam usus breviloquentia neque, quae pueri aut jam scire debent aut facile cogitando reperire possunt, proposuit, neque quidquam intactum reliquit, quod obscurum vel dubium esse possit, ita tamen, ut magis indagandi veri viam muniret, quam quid verum esset, explicite traderet; quod non solum, ut ipse dicit, fructuosius est ad acuenda et corroboranda discentium ingenia sed docenti etiam occasionem praebet gratissimam et quid discipuli in literis suo ipsorum studio profecerint, inquirendi et id quod nondum conceperunt ex suis addendi. Quare doleo, cariorem esse eum librum, quam qui a multis emi possit, et vellem ut singulae fabulae venirent, quas sibi comparare omnes disci-

pulos juberem, quamquam una ex parte, de qua mox dicam, vir meritissimus iis, quales nunc sunt, nimium laboris imponere mihi videtur.

III. Critica arte auctorem editurus carere nequit, cujus ut quisque peritissimus est et versatissimus, ita optime interpretis munere perfungitur, sive pleniore commentario, quid ubique praeferendum sit, exponens, ut Ernestus Schneiderus, quo certiore ducem in legendo Caesare et Platone vix optes, sive ipso scripturae delectu, si omnes discrepantias in libris manuscriptis obvias et virorum doctorum emendationes conjecturasque adnotat, jam satis nos monens de auctoris sensu, et quum, quibus in locis alii offenderint, quid eorum dubitationem moverit, videamus, ad difficultates detegendas convertens inque iis vincendis adjuvans, ut Im. Beckerus et Dindorfii fratres, quorum editiones qui his studiis dediti sunt neque possunt unquam de manibus deponere neque volunt. Sed illorum hominum libri in doctium usum scripti sunt; contra qui discentium utilitati prospicere vult, quamquam totum critici negotium subeat necesse est, abstinere tamen debet, ne operam suam quamvis acerrimam in scripto recognoscendo impensam ostendat. Quaeritur autem, utlene sit, quasdam lectionis varietates ut commemoret an nullas, deinde, iisdemne legibus contextum quem vocant constituere jubeatur, quibus illi parent, an aliis.

Iis non assentior, qui varias lectiones removeri volunt omnes, quod ne fieri quidem potest; nam frustra discipulos nec jure variis editionibus uti vetares. Nonnullas adscribi utile esse arbitror, atque eas quidem, quae num receptis deteriores sint, non in promptu est judicare. Dubitationes enim motas quum tollere studeant, cum ingenia acunt tum sensum eorum quae legunt sibi recludunt. Sed modum hac in re retineamus, ne tritum illud nobis exprobrent, ac si philologis tantum futuris velimus providere atque insolenter nobis arrogemus, quod academiis sit reservandum.

Majoris momenti quaestio altera. Critici est, codicum vetustatem fidem familias dignoscere, ex iis accuratissime collatis scriptoris verba genuina exhibere nec quidquam nisi coactus sit corrigere. Cogitur autem non solum, ubi aperta menda cernuntur, sed etiam alia sunt signa corruptelarum, et externa, literae et voces superscriptae, rasurae, mirae librorum discrepantiae, et interna, ubi inter se repugnantia leguntur, aut quae a linguae legibus scriptorisve usu abhorrent, aut quae superflua esse comparent, ut interpolationis, aut manca, ut lacunae suspicionem injiciant, et similia tam multa, ut jam ea detegere, nedum locis depravatis mederi, insignis sit sagacitatis, judicii, doctrinae. Quibus virtutibus ut quisque ornatissimus est, ita circumspectus et cautius agere solet, ne quid inconsulto mutet neve, dum librarium sibi corrigere videtur, auctorem ipsum corrigat. Certis tantum rationibus obsequitur, satius putans, quae corrupta sint aut suspecta, designare, et quae ad locum emendandum tentata sint vel tentari possint proponere, quam conjecturas admittere ulla nisi necessarias. Talem criticum, gravem quidem et severum, Nevius se praestitit, quod quis est, qui vitio ei vertat? sed, quum non doctis viris sed discentibus Sophoclem traderet legendum, nescio an fuerit rigidior et, ut supra dixi, nimium iis laboris imposuerit. Nam eum plus sibi indulgere posse puto, qui antiquum auctorem in juventutis usum edit; itaque ei facile concedamus, ut probabiles conjecturas, etiamsi sic scripsisse auctorem non persuasum habeat, in contextum tamen recipiat, ne majoribus difficultatibus discipuli implicentur, a quibus expedire ipsi se nequeant, neve justo diutius in legendo morentur. In ea sententia recentiores sunt editores et, orationem pueris exhibituri lectu faciliorem, (eadem igitur causa permoti, qua germanicas

animadversiones scribunt,) non dubitant plura corrigere, quam vere criticus sibi permiserit; sed, ut fit, sunt, nec pauci quidem, qui altera ex parte peccent, et, quum hac quoque in re Ciceronianum illud verum sit: „in omnibus rebus videndum est, quatenus; etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quam parum,“ eorum rationem etiam magis improbandam duco quam Nevii. Ille admodum anxius cavet, ne auctorem suum violet, hi audacissimi, ne dicam temerarii, nihil intentatum relinquunt; ille raro, ubi aperte librarii somniaverunt, aliquid emendare conatur, hi saepius nulla cogente necessitate iis, quae tradita sunt, sua substituunt commenta; ab illo pueri docentur criticam artem pro studio verae scripturae investigandae habere, ex horum exemplo merum ingenii lusum esse censent, quo eruditi viri inter se certent, quis plura excogitare, quis majores plausus reconditoris ejusdam doctrinae et acuminis ferre possit. Unde periculum exoritur, ne literarum nostrarum severitas dissolvatur, ne juvenus veteres admirari et suspicere desinat, quorum voces et sententias tam saepe audiat hinc vituperatas illinc defensas, ut mirum sit, si non prorsus perturbetur, omnisque venusti sensus hebescat; neve denique intolerabilis fiat illa conjectandi licentia, quae scriptis antiquis, explicandis potius quam novandis, ruinam fere minatur.

Tantam accusationem, ne calumniari videar, facere non possum, quin uno saltem argumento probem, et, quum Nevium Sophoclis editorem praedicarem, Schneidewinum ei opponam, et ipsum virum de illo poeta optime meritum, valde igitur nobis venerandum et colendum, sed cui, quo magis doctrina et elegantia eminet, eo minus indulgendum est, si auctoritate sua impositurus aliis et nociturus esse videtur. Eligo autem ex Antigone tabula locum sane impeditissimum et vexatissimum, stasimi quarti stropham alteram, quae apud Nevium sic scribitur:

παρὰ δὲ Κυανέων πελαγέων διδύμας ἄλως,
 αἰκταὶ Βοσπόριαι, ἰδ' ὁ Θρηκῶν Σαλμυθησός,
 ἢ * ἀγχίπολις Ἄρης
 δισσαῖσι Φινείδαις
 εἶδεν ἀρατὸν ἔλκος
 τυφλωθὲν ἐξ ἀγρίας δάμαρτος
 ἀλαὸν ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις,
 † ἀραχθὲν ἐγγέων ὑφ' αἱματηραῖς
 χεῖρεσσι καὶ κερκίδων ἀκμαῖσιν.

apud Schneidewinum autem:

παρὰ δὲ Κυανεῶν πελαγέων διδύμων πετραῶν
 αἰκταὶ Βοσπόριαι ἰδ' ὁ Θρηκῶν ἄξενος
 Σαλμυθησός, ἢ ἀγχίπολις Ἄρης δισσαῖσι Φινείδαις
 εἶδεν ἀραῖον ἔλκος
 ἀρακτὸν ἐξ ἀγρίας δάμαρτος
 ἀλαὸν ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις
 ἄτερθ' ἐγγέων, ὑφ' αἱματηραῖς
 χεῖρεσσι καὶ κερκίδων ἀκμαῖσιν.

Quantum ea inter se differant, nemo non videt; tacebo de minoribus quibusdam; cetera haec sunt: In primo versu Sch. *άλός* rejecit, *πετρῶν*, quod post Brunckium ceteri deleverant, restituit et in *πετρῶν* mutavit, pro *Κυανέων* autem *Κυανεῶν* et *διδύμων* pro *διδύμας* posuit; in secundo lacunam, a Nevio post *ἦν*, ut a Wexio post *ἀγχιπόλις* (N. autem ser. *ἀγχιπόλις*, ceterum ubique Wexium sequutus) asterisco signatam, recepta Boeckhii conjectura explevit; deinde ipse *ἀραῖον* pro *ἀρατόν* et *ἀρατόν* pro *τυφλωθέν* conjecit; denique Hermanni conjecturam *ἀτερθ'* pro *ἀραχθέν* recepit. Jam tripertito, quum tribus in versibus metrum antistrophae non congruat, singula consideremus.

1. In primo strophae versu, quum non respondeat antistrophae haud dubie genuinae, duae syllabae delendae sunt; quare Brunckius *πετρῶν* exstinxit, quod ad explicandum nomen *Κυανέων* adscriptum fuisse videtur, eique ceteri editores astipulantur. Sch. autem id retinendum et *άλός* removendum esse censet. Tribus nititur argumentis. Primum *πελάγη* *άλός* nostro loco vix excusandam esse dicit copulationem; sed id est affirmare, non demonstrare, neque inde elucet, cur non Sophocli de fluctibus maris dicere licuerit, ut Homero Od. ε. 335 *άλός ἐν πελάγεσσι*, Apol. Rhod. III. 349 *πελάγη στυγεράς* *άλός*, Eurip. Troad. 88 *ταράξω πέλαγος* *Διγαίας* *άλός*. Tum offendit eum, quod multis in locis de Cyaneis rupibus, nunquam de Cyaneis fluctibus sermo sit; at quod insolitum est non ideo statim damnandum, sed explicandum, ut rectissime explicuit scholiastes: *παρὰ Κυανέοις πελάγεσιν εἶπεν τοῖς ὑπὸ τῶν Κυανέων πετρῶν περιεχομένοις*, qui scholiastes si Schneidewino *πετρῶν* non legisse videtur, respondendum est, eum illud non legisse non videri sed certissimum esse. Denique *άλός* a lectore quodam Homeri memori adscriptum esse putat; sed cui tandem usui? an ut *πελαγέων* explicetur? sed quis a quoquam ejus nescius poterat existimari? contra quum Cyaneum mare dici non soleret, huc *πετρῶν* aliquem adscripsisse rectius suspiceris. Non igitur id poetae intrudendum erat, atque eo minus, quo plura verba ea de causa in eodem versu, ut intelligi possit, mutari necesse erat; et probabilius Triclinius, modo ne metrum repugnet, *πετρῶν* scripsit, *πελαγέων* expuncto.

2. In proximis versibus aliquid excidisse, non tam sententia docet, quae nihil laborat, quam metrum. Unus Wexius antistrophae medelam afferre conatur, conjecturam proponens ipsi audaciorem visam, nec de delendo participio *ἔχοντες* et de verbi *τήκεσθαι* structura nobis se persuasurum esse sperare potest, quum ne sic quidem strophæ intacta maneat, in qua a librario quodam, postquam ab alio *ἔχοντες* insertum fuerit, metri causa verba transposita esse, quis credat? Jure igitur ceteri lacunam explere student, quam variis modis, et infinitum neque hic opus est percensere. Aptissime a Boeckhio, qui gravissimis argumentis, ex loci descriptionis et metri ratione petitis, ante *Σαλμ.* adjectivum inserendum esse demonstrat, *ἄζενος* appositum est, quam conjecturam si ipse quamvis incertam non tamen improbabilem fore sperat, summi viri modestiam et prudentiam agnoscimus. Equidem ut ejus sententiae accedam, non tam eo moveor, quod etiam Aeschylus illam regionem *ἐχθρόζενον* vocavit, quam quod scholiastes ad tuendam suam nostri loci interpretationem *πέλαγος δὲ ἐστὶ δυσχείμερον* (procellosum et propterea peregrinis periculosum) Aeschyli versum adscribit, unde eum simile

quid hic legisse perspicuum est. (conferendi sunt etiam loci a Wexio laudati Phil. 217 ἄξενον ὄρμον et Oed. R. 196 ἐς τὸν ἀπόξενον ὄρμον Θρηῖκιον κλύδωνα, ad quem scholiastes dicit: ἴσως τὸν Ἀλμυδησσὸν Φησί, περὶ ὃν ἱστορεῖται πολλὰ ναυάγια γίνεσθαι.) Itaque optime fecit Schneidewinus, quod eam conjecturam accepit, neque immerito Boeckhio in versibus quoque constituendis obsequutus est.

3. Violentius autem Sch. reliquam partem tractavit. Hermanni conjecturam ἄτερθ' ἐγγέων amplexus omnia a librariis conturbata et confusa esse sibi finxit: primum glossema ἀραχθέν pro ἀρακτόν in libros irrepsisse; deinde id oculorum errore loco ἄτερθ' a librario collocatum, tum ab alio ἀραχθέν per τυφλωθέν explicatum esse, idque in contextum venisse, postremo finalem syllabam ab ἀρακτόν in adjectivum antecedentem transiisse atque ita ἀραῖον mutatum. Cur quaeso tot tumultus? ut ἀρατόν removeatur, quod apud tragicos non occurrit; at occurrit apud Homerum (Il. XVII. 37, non 27) nec quidquam offensionis habet apud Sophoclem Homericæ dictionis studiosissimum; — ut syllabarum conventus in Ἄρης, ἀραῖον, ἀρακτόν (quod est annominationis genus) augeatur; at ejusmodi ornamentis si poetam locupletare voluit, idem ἀρατόν et ἀραχθέν scribendo assequi potuit neque oportuit eum tam multa corrigere; — denique ut redundantia quaedam orationis, in pluribus ejusdem significationis verbis conspicua, adimatur; at ubertas illa in canticis tragicorum non inusitata si cui displicet, vituperet eam ut luxuriam, non sibi depascendam esse putet, nam quod ita emendatum laudi tribuit poetæ, vereor, ne sit editoris laus propria. Praeterea oblitus est, quomodo Hermannus scholiastam in suas partes trahere studuerit, ad cujus explicationes ἀραχθέν, ἀντὶ τοῦ τυφλωθέν et ἀραχθέν ἐγγέων: ἀραχθέν αἱματηραῖς χεῖρεσσιν, ὑπ' ἐγγέων καὶ κερκίδων ἀκμαῖς, τουτέστι γυναικείαις haec ille adnotat: „Scholiastæ verba corrupta esse apparet, nam **hominis insani foret**, ἀραχθέν per τυφλωθέν explicare, hastasque in mulierum numerare instrumentis. Immo ἀραχθέν nihil est nisi explicatio verbi τυφλωθέν, quæ alieno loco adscripta expulit genuinam vocem ἄτερθ'. Corrige scholiasten hoc modo: τυφλωθέν: ἀντὶ τοῦ ἀραχθέν, αἱματηραῖς χεῖρεσσιν, καὶ οὐκ ὑπ' ἐγγέων, καὶ κερκίδων ἀκμαῖς, τουτέστι γυναικείαις ὄργάνοις.“ Sed a plurimis Hermanni conjecturam improbatam video. Jure, nam etsi dicit: „Res ipsa docet, si hasta aut ense usa esset mulier, non opus fuisse radio textorio atque unguibus: itaque sine hastis potius aliisve virilibus telis facinus perpetrasse dici debuit manibus usa et muliebribus instrumentis“, tamen eum puto Tricliniana lectione ἀραχθέν οὐκ ἐγγέων ἀλλ' ὑφ' κ. τ. λ. inductum esse. Illa autem oppositione non opus est ad augendum facti horrorem; imo friget et, cruentis manibus dentibusque pectinis facinus perpetratum esse, magis ex improvise fortiusque dictum, quam si ἄτερθ' ἐγγέων praegrediatur. Lenissime vero nostro loco medetur Seidlerus, cujus conjecturam ἀραχθέντων a Lachmanno probatam a Boeckhio receptam esse gaudeo.

Jam rideat fortasse aliquis animadvertens, me nihil novi ne minimum quidem proposuisse sed plane Boeckhii vestigia pressisse. Rideat igitur! Equidem tantum virum sequi non erubescō; atque, si veterum auctorum editores cautiores temperantioresque esse voluerint quam ingeniosiores, melius de nostris literis actum iri, fidenter affirmo.